

datur uel in dogmatibus uel in rebus externis necessariis, uel denique in rebus adiaphoris, quod sanae doctrinae aduersatur, quae est secundum Euangelium gloria beati Dei; nec ferre potest philosophicam quorundam modestiam et moderationem, qui causantur, satius esse qualescunque quam nullas ecclesias habere; cum omnia sint in manu Dei posita,<sup>15</sup> cuius etiam dextera haec omnia mala mutare potest.<sup>16</sup> Is enim nouit, qui sunt eius,<sup>17</sup> is [72:] etiam nouit suam ecclesiam sanctam sine consiliis ac rationibus humanis regere ac gubernare. Quare nostrum est, Tyrannis ceruices nostras potius feriendas praebere, quam admittere, quantum in nobis est, ut Euangelium filii Dei corrumpatur et humanis traditionibus atque doctrinis daemoniorum, quibus hoc commentum *Interim* scatere uidemus, uel obscureretur, uel labefactetur. Scimus enim, nos esse in nouissimis temporibus, et nunc propiores fini huius Seculi, quam fuerint Apostoli, quorum doctrinam, licet indigne, docemus ac profitemur. Ideo praeclara diui Pauli prophetia, quam nouimus in Papatu esse completam,<sup>18</sup> non solum nos consolemur,<sup>a</sup> sed etiam armemus ac muniamus aduersus doctrinas diabolicas cum Euangeliō pugnantes,<sup>19</sup> ne doctrina fidei pereat, et opera in doctrina statuantur, id quod aduersarii nostri Papistae summis uiribus effectum reddere conantur.

Haec Vestrae Charitati, Domini et Fratres dilectissimi, breuiter hoc tempore propter summam nuncii festinationem duximus esse respondenda, donec aliquando, consideratis et perspectis singulis commenti partibus, Deo uolente specialiorem addiderimus responsonem.<sup>20</sup> Et humiliter petimus, ut haec interea temporis propter Christum consulantur. Dominus noster Jesus Christus consuet una cum sua Ecclesia sancta [73:] Vestras Dignitates ad suam gloriam et pericula gubernet. Amen. Hafniae 12. Julii 1548.

Vestrarum Dignitatum  
Obsequentissimus  
Doctor Petrus Palladius  
Hafniae Coppenhagen in Denemarck.  
30 Petrus Gall et reliqui Scholae et Ecclesiae Hafniae Comministri.

---

<sup>a</sup> Im Druck: consulemur.

<sup>15</sup> Vgl. Hi 12,10; Ps 95,4.

<sup>16</sup> Vgl. Ps 118,15f; 77,11 [Luther 1545].

<sup>17</sup> Vgl. Joh 10,27; II Tim 2,19.

<sup>18</sup> Vgl. I Tim 4,1–3.

<sup>19</sup> Vgl. Eph 6,11–17.

<sup>20</sup> Das ausführliche Gutachten wurde den Hamburgern auch auf mehrmalige Nachfrage niemals zugänglich gemacht, vermutlich weil Christian III. die scharfe Ablehnung des Interims durch die führenden Theologen seines Landes nicht bekannt werden lassen wollte. Vgl. Schwarz Lausten, Religion og Politik, 110.